

ad rem? Nostrum vero codicem, qui emendatum hac parte credit. Vitruvium fortasse ad longitudinem & latitudinem putabit respexisse. Vero tamen similis est, de palmo minore intellexisse, & latitudinem spectasse, nam duo palmi efficiunt semipedem. Sed de palmo lib. 3. cap. 1.

EX HIS VNVM PENTADORON, ALTERVM TETRADORON DICITVR. DORON AVTEM GRÆCI APPELLANT PALMVM, QVOD MVNERVM DATIO GRÆCE ΔΩΡΟΝ APPELLATVR. ID AVTEM SEMPER GERITVR PER MANVS PALMVM, ID QVOD EST QVOQVOVERSVS, &c. Hunc locum ita legendum existimo. Ex his vnū Pentadoron, alterum Tetradoron dicitur. (Doron autē Græci appellant palmū, eoque munerum datio græce δῶρον appellatur, quod semper geritur per manus palmum.) Id quod est quoquo-versus, &c. Nam Plin. lib. 35. cap. 14. ita scribit de lateribus loquens. Genera eorū tria. Dyodoron quo utimur longum sesquipede, latum pede. Alterum Tetradoron. Tertium Pētadoron. Græci enim antiqui doron palmum vocabant. Et ideo dora munera, quia manu darentur. Ergo à quatuor & quinque palmis, prout sunt nominantur. Eadem est latitudo, minore in priuatis operibus, maiore in publicis vtuntur in Græcia. ALTERNIS CORIIS PARIETES ALLIGANTVR. Id est cursibus & ordinibus. EST AVTEM IN HISPANIA VLTERIORE CALENTVM, ET IN GAL